

**Dissertatio inauguralis physiologico-medica de ortu, et incremento foetus  
humani ... / Eruditorum examini submittit Adrianus Hofmans.**

**Contributors**

Hofmans, Adrianus.  
Royen, Adrianus van, 1704-1779.

**Publication/Creation**

Lugduni Batavorum : Apud Cornelium de Pecker, 1758.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fct2qm45>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS  
PHYSIOLOGICO - MEDICA

D E

ORTU, ET INCREMENTO  
FOETUS HUMANI.

Q U A M

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Autoritate MAGNIFICI Rectoris,*

**D. ADRIANI VAN ROYEN,**  
MEDICINÆ DOCTORIS, ET COLLEGII PRACTICO MEDICI  
IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARI.

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,  
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis,  
ritè ac legitime consequendis,

*Eruditorum examini submittit*

**A D R I A N U S H O F M A N S,**  
L U G D . B A T .

*Ad diem 20. Februarii 1758. hora locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,  
Apud CORNELIUM DE PECKER,  
M D C C L V I I I.

ДИАТАЛА ИНУГУАЛИС

ПИЧАЛОВО-МЕДИС

ОТЧИМЯНИЯ. ОТК  
ДАНИ СОТОЧ

ХАМ-ТЮ ИЛ СЕКИ ПИЧИНА

СЛОВОЙ ПИЧИНОЙ СИБИРЬ

И НУ ОЛ ОЛДА ДИАТАЛА

СИ АМ-ОЛ СИ АМ-ОЛ

V I R O  
INTEGERRIMO  
D. HUBERTO HOFMANS,  
MERCATORI INTER LEIDENSES VIGILANTISSIMO  
PATRI SUO OPTIMO, INDULGENTISSIMO AD  
ROGUM USQUE VENERANDO.

NEC NON  
V I R O  
S P E C T A T I S S I M O  
D. BERNARDO VAN TANGEREN,  
CONSANGUINEO SUO OMNI AMORE PROSE-  
QUENDO.

*Hanc inauguralement Dissertationem  
ea, qua pars est Pietate  
& Reverentia*

D. D. D.

A. HOFMANS.

О Я I V

INTEGRA MUNIMENTA  
HONORIS DUBERRAMUS;

MERCATOR INTER LITERAS AFRICANAS  
CLAVIS QUITATIONIS.

LOCU[m] 1691.

МОИ ДЕНЬ

О Я I V

ОЛЯЗАТЬСЯ,

БРЯНДОУАН ТАНДЕРН

CONVENTUS suo omni anno reges  
CORNEDB


Документы о пребывании в Африке

в Африке

С РЕГИСТРАЦИЕЙ

Д.Д.Д.

АНОМАНС




DISSERTATIO INAUGURALIS  
PHYSIOLOGICO-MEDICA,  
DE  
ORTU, ET INCREMENTO  
FOETUS HUMANI.

C A P U T P R I M U M.

*De Ortu Productionum Naturæ in Genere.*

§. I.



ostquam Adorandus Creator in principio cœlum, & terram creavit, leges posuit, juxta quas fierent productiones Naturæ. Gen. Cap. i. Vers. ii. germinet terra herbam virentem, & facientem semen &c. Vers. xxviii. crescite, & multiplicamini, & replete terram.

A

§. II.

## §. I I.

Per naturam intelligimus aggregatum omnium causarum illarum, quibus fit ut essentiae harum productio-  
num a statu defectus, ad statum perfectionis, hoc est, a  
non existentia ad existentiam deducantur.

## §. I I I.

Causas earum Productionum materiales quatuor obser-  
vamus: suntque hæ, *Ignis*, *aer*, *terra*, & *aqua*. Verum  
insuper his Elementis intermischuisse Creatorem semina-  
rerum insensibilia, seu quintam quandam essentiam, ag-  
noscere cogimur, ne differentiam mere gradualem &  
specifica minorem inter productiones Naturæ dari, quod  
absurdum est, convincamur.

## §. I V.

Productiones Naturæ sunt res omnes quæ supra vel  
infra superficiem telluris oriuntur & intereunt. Oriun-  
tur autem cum novam induunt & intereunt cum vete-  
rem exuunt existentiam: sed post interitum remanent  
elementa sensibilia, indicio præter hæc aliud quidpiam  
inesse.

## §. V.

Præterea datur in productionibus Naturæ motus tam  
progressivus quam intestinus. adeoque Motor seu prin-  
cipium movens, quod pariter internum statues, nisi ve-  
lis his omnem activitatem adimere.

## §. VI.

## §. VI.

Hoc principium movens, si recte Philosophari velis, caute distingues a corpore productionum Naturalium. Nam vis inertiae proprietas corporum generalis est, & quidquid generi convenit, omnibus tam speciebus, quam individuis, in quibus genus continetur, conveniat necesse est.

## §. VII.

Nil ergo juvat pro explicanda formatione productionum naturalium recurrere cum Dom. Buffon *ad particulas organicas viventes*; quippe eadem in singulis his partibus, quae in toto, difficultas de motore manet: quamvis ad illustrandam rem Physicam non nihil conducat scire, antea tales particulæ organicæ viventes existant, nec ne.

## §. VIII.

Indignum foret Philosopho extendere omnipotentiam Divinam ad contradictoria. Hinc non minus impossibile est materiam vivere, hoc est sese mouere posse, quam cogitare. Contradiccio autem corporis sese mouere potentis in eo foret, quod haberet & non haberet vim inertiae (vid. §. 6.)

## §. IX.

Possibile est leges Naturæ (expositas §. 1.) esse principium omnis motus automatici, tam progressivi quam intestini, productionum naturalium, & *posito possibili in actu nibil*

*nihil sequitur absurdum.* Verum quia in materia contingentia aliud est absurdum non sequi, & aliud verum sequi; quippe a potentia ad actum non valeat consequentia: hinc & actum obtinere affirmamus insuper, quia Naturae lex est regula & norma secundum quam Deus voluit certos motus semper, id est, in omnibus occasionibus peragi. Vid. Clar. 's Graves. Philos. Newton. C. I. p. 3.

## §. X.

An ergo, praeter hanc legem naturae, nulla dari potest in materiatura productionum naturalium activitas propria? Certe nulla quae vitae nomine venire possit; nam ubi agitur de corporibus, firmum & inconcussum manet axioma ARISTOTELIS: *omne movens motum ab alio movetur:* & vita definitur *facultas movendi se ab interno principio* (vid. §. 8.)

## §. XI.

Hinc ubi principium movens, seu vita productionum naturalium indagatur, vel in efficacia sola legum Naturae subsistendum est, vel alia qualiscumque causa secunda, sub concursu causae primae operans, sed immaterialis, ex cogitanda. Possibilis est uterque modus; nam quidquid facit Deus per causas secundas potest per se immediate facere: & quidquid per se facit immediate (excepta creatione) potest illud per causas secundas efficere. Horum vero modorum, quem elegerit Creator, nemo scit, nisi qui Consiliarius ejus fuit.

## §. XII.

## §. X I I.

Difficile quidem est mortalibus concipere , quomodo fieri possit, ut causa illa secunda, sub concursu primæ, motus vitales & spontaneos exerat , ut & quomodo hi motus stupendas illas , quas observamus in omnibus productionibus naturalibus , transmutationes operentur. Demus Deum aliquid posse, quod fateamur nos intelligere non posse.

## §. X I I I.

Productiones Naturæ dividunt Philosophi in tria regna, scilicet regnum fossile , regnum vegetabile , & regnum animale: quæ rursus species tamquam genera in innumerabiles species inferiores subdividuntur. Quem procedendi modum si rejicis , actum est de universa methodo synthetica. Verum ponendo tanti momenti Divisionem cavendum est, ne contra leges logicorum membrum unum aliud includat. Crescunt quidem lapides , sed non vegetant nec sentiunt; crescunt & vegetant plantæ , sed non sentiunt; crescunt & vegetant sed & sentiunt animalia. An hi caracheres sufficient ad legitimam divisionem instituendam? hic speciatim examinare vastus nimis foret campus: hinc positis principiis generalibus, ad ultimam omnium eamque nobiliorem totius gradationis productionem , creaturam scilicet humanam , studia mea converto , rogans B. L. ut si quid in hac materia lubrica minus recte dixero , æqui bonique consulat.



## C A P U T S E C U N D U M.

*De Ortu Foetus Humani.*

### §. X I V.

**D**e ortu foetus dicturo, necesse est exponere sartem causas proximas, quibus fit ut homo a statu non existentiæ ad statum existentiæ transeat, & maxime incipiendum ab iis, quæ sensus nostros inter observandum feriunt, ut legitimo dein ratiocinio, assequamur modum, quo fiat ex non vivente vivens, & ex non animali animal rationale. Hinc imprimis consideranda sunt ovaria in scemellis & in maribus semen.

### §. X V.

Ovaria, seu testes muliebres antiquis, sunt duo corpora, ovata, depressa parum, superiori parte convexa sed gibbosa, inferiori vero plana, quorum magnitudo differt pro ratione ætatis, aut virium.

### §. X V I.

Unumquodque ovarium ponitur juxta uteri latera & ad fundum ejusdem, ad decem aut duodecim linearum distantiam pro lusu Naturæ in non gravidis.

### §. XVII.

## §. XVII.

Per validum ligamentum, veteribus vas deferens dictum, Ovarium annexitur utero cum tuba fallopliana & lateribus pelvis, per ligamenta uteri lata, & ornamenta foliacea, & vasorum spermaticorum ope, a quibus vas innumerabilia ad Ovarium accedunt, quorum ramuli per medium axin baseos in Ovum adscendunt (*Grafius T. XVI.*) insuper cum pluribus aliis partibus.

Substantia Ovari est membranacea, subalbi coloris, pluribus venis, arteriis, & nervis intertexta.

## §. XVIII.

In illis Ovariis observantur vesiculæ, figura diversæ, sed ut plurimum rotundæ, numero pro lusu Naturæ, constitutionis, aut ætatis, variantes; hæ repletæ reperiuntur humore quodam albuminoso, & si quædam vesiculæ desint, cruciales cicatriculæ eorum loca occupant: reperiuntur quoque in ovariis parva corpora flavescentis coloris, glandulosam substantiam referentia; illa autem non inveniuntur, nisi ad fœcunditatis tempus.

Hydatidibus obnoxia sunt ovaria, quod sæpe hydropis Ovari incarcерati causa est. Imo celeberrimus Dominus LEVRET, apud Parisienses artis obstetriciæ peritissimus, mihi ovarium hydropicum, pondus xxv Librarum exceedingens, ostendit.

## §. XIX.

Ductus, seu tubæ Fallopianæ sunt duo canales musculo-vasculosi, conica fere figura, vermiformes, erectionis suscepitibiles.

Quisque canalis, angusto principio lateraliter ex fundo uteri oritur, sensim in latius tendens, postmodum sese coarctans, & in sua capacitate flatum & stylum mediocrem admittens. Hæ tubæ vasa habent plurima (*vid. DRAK. anthropol. Tab. x. Fig. 2.*) quorum ope coitus tempore, adfertur magna quantitas humorum; hinc eriguntur & ita genitaram maris proliferam transmittunt (*RUYSCH. Thes. Anatom. v. Tab. v. Fig. 1.* Sic quoque in *adv. anat. dec. I. p. 3.*) nec non Ovulum ab illis vesiculis recipiunt, & ad uterum deferunt.

Latum ligamentum amplectitur quodque corpus utriusque canalis per totam suam longitudinem; pars ejus autem superior ordinarie libere hæret in hypogastrica regione.

Parva hæc organa, quæ habent longitudinem quatuor circiter pollicum & aliquarum linearum latitudinem, ex substantia uteri oriuntur, ac in principio stylum perquam tenuem in sua capacitate admittunt.

### §. X X.

Expansiones foliaceæ, quæ hæc organa altero extremo terminant, in fervido coitu eriguntur, & retroflectuntur, & sic amplectuntur ovaria; pressione & ope contractio-  
nis suarum fibrarum contentum ovum maxima vi abripiunt: illas expansiones ita retroflexas repertas fuisse constat ex auctoribus, imo & tubis concretas esse vidi.

### §. X X I.

Organis hisce expositis, quibus illud producitur, quod ad conceptum necessarium est, nunc investigandum re-

stat

flat quid sit hic conceptus? *Conceptus* definitur ab ARISTOTELE, *processio viventis a vivente, principio vitæ conjuncto, in similitudinem Naturæ*. hoc est processio motoris a motore per conjunctionem maris, & fœminæ, eo fine ut similis Naturæ fiat id quod gignitur. Recte quidem docet Philosophus *per similitudinem Naturæ omnem generationem esse univocam*, atque generationem æquivocam tam absurdam esse, quam quod ex musca generari possit Bos vel Equus. sed non explicat, qui fieri possit, ut vivens a vivente procedat; & innuit marem in eo active, matrem vero mere passive se habere, per hæc verba, *processus viventis a vivente*.

Certum est tamen duplicem intervenire materiam in generatione quacumque. id quod per inductionem observationibus probatur. nam 1º Ovum Gallinæ, a gallo non imprægnatum, quod est subventaneum, si incubetur, putrefascet. Liquet Galli coitum necessarium esse ut principium vitæ jungatur.

2º Europea cum Ætiope rem habente, semialbi, seminigri hominis erit productio & ad similitudinem naturæ.

3º Si equus Asinam comprimat, processio illorum erit mulus ex equo & asina aliquid simile Natura, si non in specie, saltem in genere proximo referens.

Ex his allatis exemplis clare videre est, generationem, seu conceptum ex processu utriusque sexus constare.

### §. XXXI.

De modo, quo fiat hic conceptus, discrepant auctores & in tres varias opiniones abeunt. Prima est HAR-

VÆI, qui ut se ab hoc nodo expediret, putavit sic posse rem explicari; Evam ova habuisse omnium hominum qui sunt, fuerunt, & futuri sunt, quæ dispersa sunt in omnibus filiabus suis, hinc tantum, opus esse nutrimento, ut ea se explicent: adeoque totum Universum quoad Regnum Animale fuisse creatum in una femella suæ speciei sed hoc est nodum scindere, & non dissolvere; tunc enim generatio nulla foret, sed tantum excitatio creati per viri congressum. Quod forte possibile, sed verosimile non est.

### §. X X I I I.

Alii, postquam LEWENHOEKIUS microscopio detexit, semen virile constare ex liquido pellucido, in quo natant millena corpuscula in principio valde mobilia, quæ postea incipiunt hærere, & quiescendo quasi lutum opaca fieri, tenent Foetum Humanum fuisse ex illis vermibus unum satis felicem, ut potuerit ovum ingredi. Addunt in Gonorrhæa vermes illos mortuos apparere, quamvis nonnulli dicant ex tali semine infantem natum esse. Si rogas cur animalcula illa sunt tam Agilia in semine, dein illud ovo ingressum fiat tam torpidum, ut mater, non nisi medio circiter gestationis tempore, sentiat foetum moveri? respondent sese movere prius exili motu, sed matrem non percipere, præsertim quia in medio pendet aquoso. Hanc opinionem improbabilem habemus: 1º. quia ponit corpuscula illa potius sese movere quam a calore seminis moveri. 2º. quia supponit hominem formatum esse ante congressum & in testibus esse ejus officinam. 3º. quia generationis modum nullo modo explicat.

### §. XXIV.

## §. XXXIV.

Hinc quod verosimilius, missis duabus illis opinionibus, tenemus cum antiquis, ex miscela seminum utriusque sexus, hoc est ex ovo muliebri, & maris semine fieri generationem, seu conceptum Embrionis, qui primo vivit vita vegetabili sibi propria, (§. 29.) dein, organizato sufficienter corpore, animam accipit sensibilem & rationalem, quæ creando infunditur & infundendo creatur.

## §. XXXV.

Per Ovum autem intelliguntur vesiculæ illæ, quæ in ovariis cernuntur (maturitatis tempore) plures, vel pauciores quodam humore repletæ.

Licet Veteres paulo aliam de generatione habuerint ideam, non tamen ignorarunt conceptum oviformem esse. HIPPOCRATES *Lib. de Natura Pueri*. Refert historiam alicujus famosæ cantatricis, quæ metu, ne vocem perderet & ut conceptus perderetur, HIPPOCRATIS jussu, aliquoties ex alto divaricatis pedibus in terram profiliit. Abortum examinans HIPPOCRATES, de eo dicit esse *veluti si quis ovo crudo externam testam circum circa adimat, in interna vero pellicula inclusus liquor pellucescat*. ARISTOTELES ait esse *velut ovum membranis tectum, cui detractus est cortex*.

Antequam ad ortum hominis me accingo, aliqua circa hæc dicenda habeo, ne imposterum unum cum alio confundatur.

Ovum illud imprægnatum Chaos appellabitur: dum il-

lud

Jud Chaos vita propria gaudebit, erit Embrio, ac dum Embrio perfectam hominis imaginem referet, tunc demum homo, seu animal rationale vocabitur.

### §. XXVI.

Ex antecessis vidimus, ovum illud membrana involutum, aliquid solidi habere: cum vero solidum ilium continuum sit & non contiguum, hinc venas, arterias & nervos communes habere cum ovario necesse est. Talis enim est universa corporis nostri œconomia, ut ubi fiunt motus, adsint nervi motorii & ubi affluunt humores, adsint vasa.

Diximus in descriptione ovarii (§. 19.) cruciales cicatriculas reperiri post coitum, quæ fieri nequeunt nisi a disruptis & lœsis partibus; quod separationi ipsius ovi ab ovario attribuere licet. Hinc qui animalia cultro subjecerunt, aliquibus a conceptu hebdomadibus, invenerunt in ovario tot cicatriculas, quot erant fœtus. Nec absurdum est dicere, causam cicatriculæ esse solutionem continui inter ovum & ovarium. MALPIGIUS recte scripsit tale ovum constare tribus partibus, calice nempe, quo ad ovarium, seu ad folliculum necatur, cellulosa tela, & vasis, ac duabus membranis.

### §. XXVII.

Quomodo & in quo loco illud ovum imprægnetur, nunc inquirendum restat. Auræ seminali facultatem imprægnandi attribuunt hodierni & veteres: ARISTOTELES dicit *Libr. de Generatione animalium: Generationis principium, quis recte statuerit marem, & fæminam: marem quod*

quod motus & generationis originem teneat, fœminam quod materia. Mas est efficiens, & motu suæ genituræ creat quod instituitur ex materia contenta in fœmina. Fœmina semper materiam præbet. Itaque rursus magnitudinem a fœmina præberi necesse est, a mare nil tale desideratur. DE GRAAF sic habet: qui semen masculinum ad uterum venire negarunt, seminalem auram volatilem de semine exhalare, & imprægnare fœminam consentiunt. Sic quoque RIOLANUS de fœmina quæ conceperat, ore uteri vix spicillum admittente. Hanc auram per poros membranæ ovi penetrare, ut sic illud fæcundet nil possibilius est.

Auram Aëre multo subtiliorem esse constat, & per vesicas transudare, ubi aër transire nequit, patet. E. G. si vesicam Porcinam applies retortæ, aquam calore agitatem & evaporantem continent, per vesicam transudare videbis, & si postea infles, aërem omnino retinebit.

### §. XXXVIII.

De loco in quo fiat conceptus, inter se dissentunt auctores. Veteres voluerunt conceptum, seu imprægnationem fieri in cavitate uteri, quia secundum Naturæ legem, foetus in ea formatur, fovetur, nutritur &c.

Quidquid sit, an illa imprægnatio in ovariis, tubis Fallopianis, vel in utero fiat, non clare patet. Videamus interim quid observatio nos doceat.

In ovariis, tubis Fallopianis, fieri posse, exempla nobis sunt. Ita ex Parisinis, Britannicis, aliisque actis patet, in ovario vel in tuba Fallopliana repertum fuisse novimemstem foetum, cuius placenta ad ovarium adhærebatur. LITTRIUS hoc affirmat *Memoire de L' accad.* 1701.

p. 147. item *Journal de Medecine A.* 1663. sic quoque  
BIANCHUS P. 169.

Ex descriptis exemplis concludere possemus & merito,  
imprægnationem ovi fieri, quando adhuc adhæret suo ovario,  
seu folliculo. HARVEUS hæc confirmat, adferens  
gallorum exemplum, qui uno coitu diversæ maturitatis  
fœcundant ova. Hinc patet, ova nondum separata,  
auram seminalem subire. Insuper videmus a gallina,  
vigesimo die a coitu, fœcunda ova pari, iudicio illa,  
ante separationem ab ovario, auram seminalem subiisse.  
Ex his satis constat, ova imprægnari ante separationem,  
& concludere licet eadem ratione fieri fœcundationem.

Ovi muliebris.

### §. XXXIX.

Nunc quæritur, an illud ovum vitam habeas? Cer-  
tum est vitam habuisse communem, quamdiu continuum  
erat Ovario, a quo vasa, & nervos acceperat, quibus  
cresceret & contentus humor secerneretur & exer-  
neretur: ast ubi, vel impetu orgasmi venerei, vel alia  
quamcumque de causa, abruptum recipitur ovum in tuba  
& inde in utero, quamdiu his partibus est contiguum,  
nihil accipere potest ab iis, nisi motum, fotum, & calor  
rem: sed vita ut diximus §. 10. est facultas sese movendi,  
& quidem ita movendi, ut fiat ex ovo caput, collum,  
cor, brachium, &c. ergo quamvis motus, fotus, calor  
sunt conditiones sine quibus non fiat organizatio, nulla  
ratione possunt ovo vitam conciliare tamquam causa effi-  
ciens: imo si talis motus Directiones sequatur ovum,  
non nisi figuram induet uteri, si in utero, & tubæ, si in  
tuba

tuba fuerit. Deinde calor, motus, fatus, quid sunt nisi modi materiæ, seu materia ipsa? Sed materia nulla potest vivere, ergo nec vitam dare, juxta Axioma: *nemo dat quod non habet.* Adeoque frustra quæres causam vitæ foetus vel in corpore matris, vel in aura seminali materiali Patris.

Certum est Naturæ leges esse causam efficientem vitæ foetus, & quidem immediatam in primo homine, quod & in sequentibus obtinere itidem possibile est, sed quia fieri etiam potest, ut pater & mater aliquid sub concursu de principio vitæ proprio ovo communicent, utriusque modi, quem Deus elegerit, non determinamus. Neque facilius est dicere, an ovum, mox postquam defisi vitam communem habuisse, vita propria vivat, nec ne? certe semina plantarum asservata, visa suut post annos viginti germinasse, sed & observavit MALPIGIUS in ovo incubato post 48 horas punctum saliens. Atque cum fatus in utero sit species incubationis, certum est ovum muliebre, vel in ipso coitu, vel non diu post incipere moveri per se, quod idem est ac vivere.

Cave tamen, ne hoc ovum quantumvis vita propria gaudens, hominem prædices, nec, qui illum perdiderit abortu, homicidam. Nam casus jurisprudentiæ medicæ est, quem ita perverse resolves contra jus, tam civile, quam canonicum. jus civile ponit hominem non existere nisi medio gestationis tempore, quia pro regula habet *idem est non esse & non apparere*, jus vero canonicum, brevius spatium, sed non minus quam xxx dierum supponit. Ecquis miscelam seminum, chaos illud informe, organis destitutum, Animal rationale dixerit, priusquam ea formata sint?

C A P U T T E R T I U M.

*De Incremento Foetus.*

§. X X X.

**U**bil ovum ab ovario separatum est, sequeretur illud indubie conditionem cadaverum, fermentescendo secundum Naturae leges usque ad putrefactionem, nisi foret in eo principium quoddam movens per se, quo vel omnis fermentatio, vel ultimum saltem fermentationis stadium, ipsa putrefactio, præpeditur.

§. X X X I.

Hoc autem principium, seu Embrionis vitam, Enormum illud ab HIPPOCRATE sic dictum, seu *impetum faciens* esse pronunciamus, sequentes regulam summi NEWTONI: *Causas rerum naturalium non plures admittere, quam quæ & veræ sint, & earum phoenomenis explicandis, sufficient.* Possibile est Enormum illud, seu *impetum faciens*, esse primum in puncto saliente, quod in ovo gallinaceo MALPIGIUS observavit; sed id de Embrione humano afferere, vetat ratio atque deficiens Antopsia.

§. X X X I I.

Eo magis quo ovum gallinæ, præter rudimenta pulli, contineat maximam partem ejus alimentum, atque tantum,

tum, imo amplius exceedat mole ovum humanum, quantum homo mole corporis pullum excedit. Hinc fit, ut Embrio humanus radices plures agere debeat, quibus alimentum incremento necessarium, ab ipso matris utero reforbeat. Adeoque verosimilius est Embrionem incipere functiones vitales & naturales exercere ad modum vegetabilium: nam quemadmodum, ubi ex ramis salicis intertextis conficimus aggeres, in loco humido, videntur ramos abscissos ex ima parte radices agere, ex summa vero in arbores crescere, ita certissimum est Embrionem humanum ab utraque parte simul crescere, scilicet in ovo ipso, ut formentur caput, truncus & artus, & extra ovum, ut funiculus umbilicalis & placenta producantur.

### §. XXXIII.

Possibile est, imo probabile, propter Analogiam cum ramis salicis truncatis (supra §. 32.) extrema illa vasorum ovi ab ovario disrupta, (§. 26.) repullulando formare funiculum umbilicale, atque *Chorion* ex membrana ovi externa, *Amnion* ex interna provenire. Qui modus operandi, vires ordinarias Naturae nullatenus excedit. Nam dentes avulsi, mox purgati, dein in alveolas repositi, non raro reviviscunt, nutriuntur & cum maxilla denuo confirmantur, id quod vidi apud Parisienses, cum successu tentari, nihilo secius ac si surculus ejusdem vel alterius arboris ramo inferatur concrescit.

Possibile est, in Embrione, Cor esse *primum vivens*, & *ultimum moriens*, quam doctrinam tota tenuit antiquitas; sed hoc posito, necesse foret tam *systema Nervosum*, quam

*arteriosum* ab ipsa substantia cordis oriri, ita ut quemadmodum Aorta crescendo, a figura conice convergente (quod *systema arteriosum* audit) ad figuram conice divergentem (quod *venosum*) transit: ita *Nervus cardiacus* seu octavum par in corde radices agens, ab hoc ad cerebrum ascendat, atque formato ibidem *Encephalo*, mox ad truncum, & artus descendat, & ad omne corporis punctum per vires vitae diffundatur.

Probabilior nihilominus nobis est Recentiorum sententia, quæ *primum vivens* in cerebri substantia statuit, atque inde *systema nervosum*, per cor & universam corporis substantiam diffusum esse deducit tamquam chordas, quibus per blanda & acria, interne vel externe motis, varia ratione secundum Naturæ Leges (§. 1.) Enormiter excitetur. Ratio nostra est, quia in Embrione cuncta videntur in gratiam capitis fieri, ita ut quo prior est origini, caput eo crassius habeat, nec nisi caudam ejus reliquum corpus esse diceres. Jam in capite officula auditus delineata sunt, nec nisi pro artibus aliquot tubercula cernis.

### §. XXXIV.

Cum in sequentibus multum agetur de illis partibus, (§. 32.) quæ communicationem inter matrem, & fœtum formant, & ad varium incrementi Gradum conferunt, hinc illas præmittere oportet. Sunt autem hæ partes, Placenta, vasa umbilicalia, membranæ ovi, cum contentis aquis.

Placenta est massa carneæ, mollis, figura rotunda, cuius circumferentia inæqualis: hæc massa constructa est ex maxima quantitate venarum & arteriarum sanguiferarum

rarum (vid. *Ruysch. Thes. Anat.* v. Tab. I.) haud dubie seriferarum, & lymphaticarum, forte ex aliquibus glandulosis corporibus.

### §. XXXV.

Placentæ moles pro mensium tempore differt. Ultimo mense graviditatis, septem, vel novem pollicum diametrum, crassitatem unius habet.

Hæc placenta dividitur in plures lobos, magnitudine differentes, qui propriis vasorum truncis & ramifications gaudent: quisque lobe placentæ, vasorum operatur iradicatur in orificio vasorum uteri, ita ut succum ad nutritionem fœtus resorbeant.

### §. XXXVI.

Quod ad situm placentæ attinet, certus non est determinandus locus. Ordinarius est ad fundum uteri, & ad posteriorem ejus partem: Sed cum ubique sese applicare possit, hinc quoque parit varias difficultates graviditatis tempore & in liberanda a fœtu fœmina.

### §. XXXVII.

Numerus placentarum dependet a numero fœtuum. Si unus detur fœtus, una tantum reperitur placenta, duo, si dentur fœtus, duas quoque observabis placentas. Licet in gemellis placentæ lobi concrescere videantur, tamen vasa eorum inter se non communicant, ut quotidiana docet experientia.

### §. XXXVIII.

## §. XXXVIII.

Vasa umbilicalia fœtus constant ex duabus arteriis, vena una. Arteriæ naturaliter oriuntur ex arteriis iliacis internis fœtus, adscendunt ad umbilicum, & sic miro modo contortæ ad placentam, ubi in infinitos ramulos dividuntur & subdividuntur. Quandoque ex imia aorta, una ex his arteriis suam originem dicit. Hac ratione satius est in liberatione fœtus, & ante separationem ejus a placenta, duas instituere ligaturas in fune umbilicali, unam scilicet a parte fœtus, alteram a parte placentæ, ne hocce casu, hæmoragia pereat infans.

Vena umbilicalis autem, arteriis fere duplo amplior est. Hæc a placenta, similibus fere contorsionibus per funem umbilicalem, dein per umbilicum ad hepar fœtus progressitur.

## §. XXXIX.

Tria illa vasa membrana cellulari junguntur & per membranam a *Chorio* continuatam involvuntur. Lusus naturæ sæpiissime in contorsione vasorum occurrit, quandoque vena, quæ aliquoties varicosa reperitur, circumvolvit arterias, & quandoque ab arteriis circumvolvitur.

Longitudo funiculi ordinaria, in novimestri fœtu unum cum dimidio pedem adæquat, licet natura in hoc sæpiissime ludat. Mihi vero occurrit fœminam liberanti fœtus, cuius funiculus umbilicalis dimidii pedis longitudinem non superabat. Illa tria vasa ita contorta, funem umbilicalem, sic dictam formant. Hæc cum non semper cen-

tro placentæ adhæreat, hinc difficultatem in liberanda ab ea parturiente facit. *Vid. Observ. Dom. LEVRET Art. 6. Pag. III.*

Usus eorum vasorum est sanguinem a placenta ad fœtum & a fœtu, separatis separandis, pro parte ad placentam denuo ferre.

### §. X L.

Membranæ sunt duæ, *Chorion* scilicet, & *Amnion*. Chorion sub concavitate uteri extenditur, Amnion vero convexitatem Embrionis mediantibus aquis involvit.

Chorion membrana pluribus lamellis constat, in duas facile dividenda; quæ inter se cellulosa membrana necuntur: superficies exterioris lamellæ aspera & hirsuta est, substantia ejus crassa, opaca; interior vero tenuis & æqualis est. Hæ duæ lamellæ, ubi ad placentam perveniunt, in varias lamellas foliorum specie dividuntur, lobulos placentæ investientes, texturæ cellularis forma.

Amnion vero membrana est pellucida, ab utraque parte polita, funiculo umbilicali se inferens.

### §. X L I.

Illæ membranæ, pluribus vasis gaudentes, in sua cavitate humorem blandum, albantem continent. In quo humore fœtus libere innatat, e funiculo umbilicali pendulus.

Ubi vero dantur gemelli, alio modo res se habet respectu Chorii & Amnii; nimirum membrana Chorii duabus Embrionibus interdum communis est, sed quisque *Embrio* suo Amnio gaudet in proprio claustro & liquore

D

tutus

tutus natans. *Vid. L'art. des Accouch. de Mons. LEVRET Planch. 2. Fig. 12.*

Alio autem in casu gemellorum non reperitur hæc separatio, nimirum ubi placentæ omnino separatæ sunt, id est ubi cellulari membrana non junguntur. Tum vero quisque Embrio proprium Chorion & proprium Amnion habet.

### §. XLI.

De membrana allantoide, multa inter se faciunt verba auctores, aliis tenentibus, membrana allantoide Embrios carere, illam tantum locum habere in brutis: aliis hoc Systema rejicientibus, atque dicentibus, Embriones humanos, membranam allantoidem habere. *Illustissimus Dominus B. S. ALBINUS* præceptor meus in æternum colendus in collegio suo Physiologico nobis ostendit & delineari curavit (vid. *Acad. Annot. Lib. I. Tab. I. Fig. 12.*) ovum humanum, in quo Embrio, e funiculo pendulus, vesicam quandam habet. Et de uracho pervio in proiectioribus adultisque plurima exempla refert (*Acad. Annot. Libr. I. Cap. vi.*) *SCHENKIUS* duabus observationibus confirmat, fœtum habere membranam allantoidem: in prima sua observatione narrat, homini adulto casu abscissum fuisse umbilicum, & ab illo tempore omne lotium per umbilicum exivisse, neglecta urethræ functione. In Secunda sua observatione refert historiam alterius hominis, qui vitio vesicæ urinam excernere non poterat; hinc natus erat tumor circa umbilicum, quo rupto, per totam vitam urina per eam viam sese exoneravit.

### §. XLII.

## §. XLIII.

Dictis, quæ dicenda erant, tam de origine fœtus; quam de partibus ad nutritionem & incrementum spectantibus, nunc videre restat quid sit ipsa nutritio.

Nutritio fit per suppeditatum succum, quo corpora non solummodo producuntur, & increscunt, sed quo continuo restituuntur & reparantur. Sed vidimus quamdiu ovum cum ovario calice suo continuum erat, tamdiu vitam cum matre communem habuisse, ergo & quoque nutrimentum ab ea suppeditatum. Diximus post solutionem ovi, illud chaos vita propria gaudere, ergo ut alimentum proprium assumat, & sic increscat nutriendo necesse est. Illud separatum chaos post solutionem continui aliquo tempore morari in ovario, in tuba, in ute-ro antequam vasa in ostia uteri sese inferant, constat: sed illo tempore nutritur: quali autem alimento? Nunc inquirendum est.

## §. XLIV.

Uterum, tubas fallopianias &c. humores exernere constat, cum vero post conceptum nil ex utero elabi possit (nam secundum legem naturæ os uteri strictissime clauditur) hinc illi humores remanent, & illo tempore quo non inserta sunt vasa ovi uteri ostiis, per hos nutritri Em-brionem, ut plantæ aquaticæ, non improbabile videtur. E. G. *Nymphæa*, quæ est planta aquatica, ex aqua nutritur; *Tulipa*, *hyacinthus* supra langenulam aqua repletam, viget, crescit, variisque radices spargit: sic quoque rem sese habere in Embrionis nutritione & incremento, an-

tequam inserta sint vasa ovi uteri ostiis, fieri potest; nimirum illa minutissima vascula exhalatos a partibus humores resorbere, & per illos Embrionem nutriri, & sic increscere, donec secundum naturæ decretum, vasa illius ovi ostiolis uteri, ut radices plantarum terræ, sese inserant.

Illa vasa se inserere orificiis uteri & ita per matrem nutriti Embrionem, nemo in dubium revocat: sed quomodo implantentur, & humorem a matre suppeditatum assumant, quamdiu in utero materno Embrio, vel foetus continetur, nunc indagandum est.

Fasciculus constans ex minutissimis vasculis, uni uteri orificio sese inserere videtur, ut radices tulpæ ostio lagenæ; & ita per intus susceptionem humores resorbent. Qualis vero sit humor, ad nutritionem Embrionis, seu foetus inserviens, multum inter se disputant auctores. Cujuscumque sit indolis a matre ad foetum transferri certum est.

### §. X L V.

Hi humores, illorum vasculorum ope, a placenta ferruntur per venam umbilicalem ad foetum, & per arterias correspondentes rursus ad placentam. An vero a placenta denuo ad matrem? inter se non conveniunt auctores. Alii affirmant, negant alii. Sunt qui experientias instituerunt injiciendo Mercurium, affirmantes illos vidisse injectum in arterias uteri propulsum fuisse. Aliis contra, idem illud experimentum non successit. Datur quoque exemplum gravidæ, cuius sanguis per inflictum vulnus

vulnus effluxerat totus & post mortem gravidæ invenierunt foetum omni sanguine destitutum.

Qui id negant, probare conantur sequenti exemplo ; scilicet ubi foemina, aliquibus hebdomadibus gravida, lue venerea laborans, per frictiones mercurialis unguenti curabatur & circa quintum vel sextum mensem curæ, prospера gauderet valetudine, obſervarunt ad nonum mensem, humorem Amnii & foetus plumbeo colore tinctum : hinc si circulatio communis eſſet, cum matre non amplius plumbeo colore tinctus fuisset humor, ſed reſorptus.

### §. X L V I.

Humores qui reſorbentur, ſunt blandiſſimi, verum chylum referentes; id conſtat sequenti obſervatione: artis obſtetriciæ periti diſtinguunt in hæmoragiis uterinis, quas graviditatis tempore patitur mulier, an a parte matris, an a parte foetus proveniant: ſi effluxus humor, rubrum habeat colorem, a parte matris illam hæmoragiam oriri affiſmant; e contra, ſi humor qui effluſit album, vel ex rubro albefcentem, pro tempore graviditatis præſe ferat colorem, tunc a parte foetus illam provenire dicunt. Ex hac obſervatione conſirmari videtur illa mi- nutiſſima vascula nihil quam lympham admiſſere, ad foetus incrementum maxime neceſſariam.

### §. X L V I I.

Cum ex dictis liquet, quod foetus a matre per intus ſuſceptionem nihil affumat, quam blandos humores, hinc neceſſe eſſe videtur illos humores facultate placen-

tæ, viribus vitæ foetus & viscerum, in proprium sanguinem converti. Illud probabile fit ex inutilitate transfusionum sanguinis de uno animali in aliud & ex ovo pullum continente, qui pullus sanguinem omnino suum facit; nihil enim ab alieno corpore vel a matre accipere potest.

Sanguificationem, maxima pro parte, placentæ ope peragi arbitror; non vero, ut quidam voluerunt: scilicet illa ostiola minutissimorum vasorum placentæ, pro tempore graviditatis increscere & primo admittere tantum posse lymphaticum humorem, secundo transmittere seruos globulos, tertio denique stadio tam capacia fieri, ut & globulos rubros, id est verum sanguinem resorbere valeant a matris utero: hinc sequeretur ex vase lymphatico fieri vas serosum & ex seroso sanguineum, quod non probabile videtur. Nam increscat vas quantum possit, extremitas ejus in eadem quoque ratione increscet & semper eundem conum formabit.

Quantum placenta ad sanguificationem conferat & per illam fere omnem absolvit, ex sequenti exemplo patebit. Artis obstetriciæ periti, plus semel invenerunt placentas munus & circulationem peragentes, imo per varios menses post mortem foetus, multum increscere & humores ab utero allatos, in sanguineos pro tempore magis magisque rubicundos mutari. Ex hoc exemplo non sequitur venam umbilicalem non continuam esse cum vasis placentæ atque sese inserere placentæ, eodem fere modo, ac venæ placentæ utero, ut quidam voluerent: nam quamvis pedunculus pomi revera continuetur ramo a quo

pen-

pendet, nihilominus primo exsiccati, tum demum pomuui maturum cadere videbis.

In ipso foetu humores placentae mutantur circulationis ope & actione viscerum; constat enim in vena umbilicali, sanguinem tenuorem esse quam in arteria: ergo in circulatione aliquam mutationem subiit. Hac ergo ratione foetus crescit, viget & nutritur; videamus quoque, an non detur aliud nutrimentum quam illud quod jam explicavimus.

### §. XLVIII.

In descriptione ovi foecundati §. 40. vidimus illud humore quodam repletum, in quo libere fluctuaret foetus. Qualis sit hic liquor & undenam adferatur, veterum opinio a recentiorum sententia differt. Veteres voluerunt *Amnii* liquorem ex foetus excremento sudore vel urina generari. Contra vero Recentiores dicunt & observationibus probant liquorem *Amnii* in ovo esse, antequam urinam excernat foetus: sic PLEMPIUS illud elucidat dum dicit, foetum, magnitudinem formicæ vix excedentem, sex septemve unciis liquoris circumfundi: ergo liquet liquorem non esse foetus excrementum. Unde igitur adfertur? a maternis arteriis, hunc liquorem elaboratum in bibulos poros *Chorii* & *Amnii* recipi probabilius videtur. Hic humor, matre prospera valetudine gaudente. semper blandissimus reperitur. omnis fere odoris expers: hinc concludere possumus, illum continuo renovari & resorberi, ne stagnando putrefascat. Haud dubie ille liquor *Amnii* est etiam succus alimentosus, varius ab eo quem descripsimus (§. 45.) quo nutritur foetus, quamdiu

ute-

uterum maternum occupat & per poros totius corporis resorbetur.

Eundem succum per os in ventriculum fluere docet observatio, scilicet foetum ventriculum & intestina repleta habere caseosis strigmentis & humoribus ejusdem fere indolis ac ille qui reperitur in ovo. Hic vero humor blandissimus, aliquo modo, subsalsus est & igni expositus ut serum concrescit. Vasa lactea chyli cremore quoque repleta inveniuntur, inde excrementa spissa nigricantia generantur quæ *mæconium* appellant, eoque intestina crassa semper plena sunt.

Foetum per os nutriri quoque ex dissertatione FRED. HOFFMANNI de *pinguedine* pag. 10. confirmare possumus. Docet enim auctor, infantem perfectum natum esse, cuius funiculus umbilicalis putredine totus correptus erat. Similem casum quoque PETITUS habuit & Academiæ Parisinæ ostendit funiculum foetus humani, in medio nodulum habentem, qui nodulus, diu ante partum constructus fuerat, ut per manifesta indicia demonstrabat.

Illos humores per os in ventriculum tantum influere, nec a foetu deglutiri autumo; licet multi hoc voluere. Nam sine respiratione nemo deglutire potest, & constat. foetum in suo ovo natantem non respirare: idcirco collapsi reperiuntur pulmones, quippe sufficienti quantitate aëris destituti, qua functionem respirationis peragere valeant. Locus quidem non est aëre vacuus, imo nec sanguine circulante. Nam ubi ajunt, in pulmonibus foetus nondum exclusi, Circulationem sanguinis non fieri, hoc de circulatione communi, non de propria intelligen-

gendum: quippe miraculum foret, si pulmones sine humore circulante crescerent; nec defunt arteriæ bronchialis, quæ incrementi materiam subministrent: hinc sequitur, deglutitionis ope, foetum non accepisse in ore & ventriculo illos humores, sed tantum influxu eorum.

Ita, per os intromisso amnii liquore, foetum nutrimentum assumere, sequenti exemplo patebit. Hac in civitate Leidensi foetus prodiit, cuius abdomen, mala arte obstetricis, apertum fuit, ruptis involucris, ita ut intestina per tenuissimam cutem adparerent, possetque oculis cerni motus chyli, ex tenuibus intestinis per lactea vasa fluentis: foetus autem nihil quidquam alimentorum admiserat.

### §. X L I X.

An eam solam ob causam, hic humor a natura per descriptas causas in *Amnio* ponatur, ut ex hoc foetus nutritatur & increscat? non puto; sed quam plurimum conferre ad conservationem foetus, ne ab externis potestatibus, vel ab ipsa contractione musculorum, vel a circumjacentibus partibus laedatur vel detrimentum patiatur arbitror.

### §. L.

An hic igitur est totus, & omnis usus liquoris amni, scilicet alere, & tutum conservare foetum? minime; Maxime enim necessarius est in parturientibus, & quotidiana experientia docet: nam ubi furtive hic liquor amnii exierit, disruptis membranis, majori difficultate a foetu liberatur mulier, quam si hic liquor aedesset.

E

Est

Est enim vehiculus pro foetus expulsione; si adeat, tanta tormina non patitur parturiens; sed quo diutius præcesserit effluxus, eo difficilior est partus. Triplex ergo est usus amnii liquoris, foetum scilicet alere, tutum conservare, & partum facilitare.

### §. L I.

Omnis pars solida fœtus constituitur ex aliis minoribus majori quam maxime similibus, vasa ex vasculis, ossa ex ossiculis; progrediturque hæc fabrica ultra omnem limitem sensum, quacumque arte adjutorum, concrevitque tota illa massa ex iis, quæ antea erant subtilissimum liquidi colliquamentum. Nec enim prius nutrit ovi albumen, quam vi incubatus, ex spissitate sui humoris transferit innumerabiles gradus fluiditatis, per diversas undas denique in subtilitatem illam terminatos, sed & tum adhuc datus Embrioni liquor ille crassissimus est & in subtiores transmutandus, in ejus vasis visceribusque.

Ex hoc autem subtiliori humore, orta solida tenerima prima, liquidis simillima, iterum transeunt per gradus infinitos intermedios, donec ad solidissimas partes peruentum sit. Hinc patet solida, in primo suo ortu, a liquidis non differre, nisi quiete, cohæsione & figura. A legibus naturæ fit cohæsio & ab Enormiante, sub his operante, figura. (§. 31.)

Hic aqua hæret multis philosophis, ubi desperant explicare modum, quo in nutritione fiat caro viva, de alimento non vivente; Nec immerito. Verum ab inextricabili difficultate liberamur, ponendo cum sana Philosophia Recentiorum, nulli corpori definitionem *viventis* compete.

re posse; (§. 6.) hinc ergo sufficere, ut singulæ partes nutritionis Embrioni applicatæ, mox ab Enormûnte occupentur. Aliud quidem est Fœtus, & aliud corpus fœtus, vires vitæ sunt in corpore, sed corpus non sunt.

### §. L I I.

Postquam Enormûn, juxta leges Naturæ, operans sibi habitaculum formavit, mente humana non indignum, hanc ipsam Deus creat immortalem & creando infundit, corpus suum non derelicturam, nisi vitiato certo atque determinato gradu domicilio; quod indicium est, non prius advenire, quam rite sit constructum. Hæc intimum, sed non nisi mediante Enormûnte, tamquam proxeneta, suo cum corpore commercium habet. Ante mentis infusionem Embrio non dormit, non vigilat, non sitit, non famem patitur, sed crescit, & eo magis crescit, quo proprietor est origini, nec defunt illi functiones vitales, & Naturales: verum functiones animales, sunt Mens ipsa, quatenus sensationis judicii, & ratiocinii capax est. Hæc est ejus intima natura, quam non minus clare novimus ab effectibus, quam corpus nostrum. De Enormûnte idem esto judicium, quippe non minus in nobis sentimus motus automaticos, quam voluntarios fieri. His nequaquam, illis vero debetur incrementum fœtus; nam voluntate sua, nemo potest ad staturam suam adjicere cubitum unum.

### T A N T U M.

co~~ss~~so

# COROLLARIA.

I.

*Duas tantum substantias non Cogitantes norunt Medicis, Materiam scilicet, & Enormūn.*

II.

*Cor non est primum vivens in nobis.*

III.

*Embrio non vivit, nisi vita vegetabili.*

IV.

*Humores, a matre suppeditati pro nutritione fœtus, non sunt sanguis.*

V.

*Humor Amnii, est fœtus alimentum.*

VI.

*Fœtus non deglutit humorum Amnii.*

VII.

*Fœtus in utero non respirat.*

VIII.

*Datur circulatio in pulmonibus fœtus.*

## ERRATA.

Pag. 18 Lin. 14 Leg. habeat.

19 — 15 — sunt.

— 16 — observavit.

— 19 — muliebre.

22 — 6 — formato.

24 — 1 — arteriis.

Pag. 27 Lin. 27 Leg. lagenulam.

28 — 13 — tulipæ.

31 — 2 — pomum.

8 — quoque.

24 — , loco. & deleat : secundus

32 — 19 — constrictus.

Pag. 33 Lin. 3 Leg. Bronchiales.